

PONTIFICIA UNIVERSITAS GREGORIANA

CONVENTUS INTERNATIONALIS IURIS CANONICI

Roma, 14-19 februarii 1977

Lectori salutem !

Per litteras Sacrae Congregationis Studiorum, die 16 Augusti 1876 datas, Pius Papa IX benigne concessit ut in Universitate Gregoriana Facultas Iuris Canonici erigeretur.

Ut huius eventus annus centenarius commemoretur, CONVENTUS INTERNATIONALIS IURIS CANONICI in aedibus Universitatis Gregorianae celebrabitur a die 14 ad diem 19 februarii 1977.

Facultas Iuris Canonici omnes suos sodales olim in ea studentes et Professores convocat simulque invitat omnes tam Urbis quam Orbis iuris canonici peritos ut huic Conventui participant.

Themata Conventus proponuntur sequentia :

Natura Theologica Iuris Ecclesialis.

Vitae Consecratae natura et vincula.

Nexus matrimonium inter et sacramentum, atque Ecclesiae et Status in illud competentia.

Organismi Iustitiae Administrativae in Ecclesia.

Methodus in Conventu adhibenda ad modum veri dialogi erit. Pro unoquoque themate tum mane tum vespere fient tres relationes inter se arcte connexae, ita ut post earum expositionem dialogus faciliter inter peritos haberi possit.

Inscriptio fiet adhibendo adiunctum inscriptionis folium, quod Romam quam primum mittatur. Stipendium participationis erit 15.000 libellarum Italicarum, quae initio Conventus solvendae sunt, ut tessera et documenta Conventus obtineantur.

Studentes in Facultatibus Iuris Canonici Urbis actu inscripti accessum gratuitum ad Conventum obtinent.

Associationes Canonistarum aliiquae coetus, v. g., ex-alumnorum, in variis nationibus exstantes, qui sponte itineris in Urbem rationem assumunt collectivam, praesertim via aerea, Secretariatus quamprimum sua velint nuntiare incoepa, exempli causa, usum aliqui « Charter », ut Secretariatus ipse aliis, quibus ea utilia esse possint, debitas valeat praebere informationes.

De commorationis loco et expensis unusquisque participantium curam gerit. Ut participantes Conventui facilius simul iuxta nationem vel linguam convivere possint, obtinebitur pro eis prioritas inscriptionis variis in Urbis domibus et hospitiiis, quorum nomina et positionem in Urbe folium annexum describit.

Secretariatus, ad quem epistolae aliaque documenta mittantur oportet, nominandus est in unoquoque involucro sequenti quidem modo :

CONVENTUS INTERNATIONALIS IURIS CANONICI

Piazza della Pilotta, 4.

I - 00187 ROMA.

Telegrammata mitti possunt hac sola inscriptione : PUGI-ROMA-CONVENTUS. Pro communicatione vero telephonica numerus adhibetur : (06) 6701.

Hoc tibi primum nuntium mittimus, tuamque ad hunc Conventum celebrandum praesentiam enixe cupimus.

Breve post tempus programma fusius mittetur iis omnibus, qui Conventui se inscripserint.

Interea omnia bona faustaque tibi in Domino exopto,

Urbano Navarrete, S.I.

Decanus Facultatis Iuris Canonici

*trique mi inscripción
la portería de la PUG
de dirigido a la Secretaría del Congreso (28/12/76)*